

IN ARTEM COMPONENDORVM VERSVVM PRAECEPTA IOANNIS MVRMELLII, AVCTA & illustrata in gratiam studiosæ iuuentutis scholarum triuialium.

Liber ad puerum artis poëticæ studiosum.

Sim licèt exiguus paruoq; parabilis ære:
Nec multis onerem te studiose puer.
Attamen Aonidum si vis inuisere fontes,
Huc ades & carpes me duce tutus iter.

Accesserunt regulæ quædam generales, & speciales de syllabarum quantitate, & carminum ratione, apud Græcos, ex Neandro.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Ad Intersignium Monocerotis.
M. D. LXX.

DE LITE-
RARVM DIVI-
SIONE.

Quomodo diuiduntur literæ?

In uocales & consonantes.

Quot sunt vocales?

Quinque: a, e, i, o, u: quibus additur y, cuius usus est in dictionibus Græcis, & Latinis quibusdam, quæ græcam originem habent: ut, hyems, sylua, syllaba, syncerus.

Ex uocalibus i & u, si in principio syllabæ ponantur, sequente uocali, fiunt consonantes: ut, iuno, Venus, adiungo, aduenio.

I positum inter duas uocales in dictione simplici, accipitur pro duplici consonante, ut aio, maior, Troia. Redit tamen hoc modo nonnunquam in uocalem, quemadmodum u quoque. ut Troius — ∪ ∪ Aeneas, sic persoluenda -∪∪-∪ apud Ouidium, pro persoluenda - - - ∪.

Ex uocalibus quatuor conficimus diphthongos: au, eu, quæ scribuntur & proferuntur: ut, aurum,

eurus: æ, œ, quæ scribuntur tantùm, & non prosferuntur: ut, Musæ, Pœna.

Addunt nonnulli ex Græcis duas; e, ut fonteis pro fontes: & u, ut Harpyia, Orithyia.

Quomodo diuiduntur consonantes?

In semiuocales & mutas.

Quot sunt semiuocales?

Septem: l, m, n, r, f, x, z. Duplices duæ, x, & z:

Ex his liquidæ sunt quatuor, l, m, n, r: s, nec liquida nec duplex est.

Quot sunt mutæ?

Nouem: b, c, d, f, g, k, p, q, t: Ex quibus f profertur ut semiuocalis, at potestate muta est, h superuacanea est, nota est aspirationis, quam tamen quidam interdum consonantis uim habere putant, ut in huiusmodi exemplis:

Virgilius:

Posthabita coluisse Samo, hic illius arma.

De syllabarum diuisione.

Syllas

Syllabarum alia { Breuis, ut Deus ∪∪ / Longa, ut sancti – – / Communis, ut patro.

Alia { Prima, ut be / Media, ut a / Vltima, ut tus.

De primæ syllabæ quantitate cognoscenda.

Quot modis cognoscitur primæ syllabæ quantitas?

Octo: Positione, Diphthongo, Præpositione, Compositione, Vocali ante uocalem, Derivatione, Regula, & Exemplo.

Quis est primus modus?

Positione quæuis syllaba producitur.

Quid est positio?

Quando uocalem consonantes, uel una duplex sequuntur, siue in eadem dictione. ut doctus, ille, axis, gaza, maior: siue in diuersis dictionibus, ita ut præcedens dictio desinat in consonantem, & sequens à consonante incipiat, ut:

Ingenium quondam fuerat preciosius auro.

Si enim dictio præcedens in uocalem desinat, &

sequens à consonantibus aut duplici incipiat, non fit positio apud latinos, ut Lucanus:

Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem.

Horatius:

Linquimus insani ridentes præmia scribæ.

Si autem eo modo inuenias aliquando uocalem breuem produci, ut apud Virgilium:

Ferte citi flammas date tela scandite muros.

Quæ propterea ideo fiunt in imitatione græcorum, neque nobis temerè sunt consuetudinem imitandum.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Duæ. Prima cùm breuem naturâ uocalem muta & liquida l, uel r, ambæ in eadem syllaba positæ sequuntur, ea non necessariò fit longa, sed modò naturalem retinẽs quantitatem corripitur, modò producitur: ut pater natura primam habet breuem: Sic enim dixit Virgilius:

Est mihi nanq; domi pater ∪∪ est iniusta nouerca.

Obliqui uerò casus eius ob mutam cum liquida primam habent communem.

Virgilius:

Albanique patres ∪ –

Idem:

Hac celebrata tenus sancto certamine patri – –

Idem:

Despe-

Despiciunt clausæ tene-UU bris & carcere cæco.

Lucanus:

Interea phœbo gelidas pellente tenebras-

Ouidius:

Atria uestra ruent Atlas--en ipse laborat.

Idem:

Cui sic respondit AT-UUlantis.

Breuem autem natura diximus, quia longam syllabam muta cum liquida corripere non potest: ut in simulachro, lauacro, aratro, salubri & similibus, penultimas semper producimus: in eadem quoque syllaba dictum est, quia si diuisim sumantur, hæc exceptio locum non habet: ut in compositis, Abluo, Obruo, & similibus, in quibus positionis lex seruatur.

Quæ est secunda exceptio?

S, nonnunquam euanescit in fine dictionis, ita ut positionem non faciat.

Lucretius:

Arboribus ueteres decidere falcibus-UU ramos, quod tamen nobis imitandum non est.

Quis est secundus modus?

Diphthongo omnis syllaba producitur, siue sequatur uocalis, siue non, ut Ouid.

Eurus ad auroram, Nabatæáq; regna receßit.

Excipiuntur pauca quædam, in quibus præ cum dictione aliqua à uocali incipiente componitur, uti: præustus, præacutus, præhensus, præesse, præire, & similia.

Virgilius:

Stipitibus duris agitur, sudibusq; præ - ∪∪ ustis.

Ouidius:

Raptaturq; comis per uim noua nupta præ - ∪∪ hensis.

In diuersis autem dictionibus diphthongus instar uocalis elidituꝝ.

Virgilius:

Agricolæ hyber - - no lætißima puluere ſarra.

Obserua tamen Græcorum imitatione & exemplo, in diuersis dictionibus latinos poëtas nonnunquam corripere diphthongos, sequente uocali, neque elidere.

Virgilius:

Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno.

Quis est tertius modus?

Præpositio in compositione suam retinet quantitatem nisi positio aut uocalem uocalis sequatur.

Quot

Quot sunt præpositiones, quæ corripiuntur in compositione, si non fiat positio?

Ab, ut abeo
Ad, ut aduro
In, ut ineo
Ob, ut obambulo
Re, ut repono
Per, ut perago
Sub, ut suborno
Super, ut superaddo
Inter, ut intercrit
Circum, ut circumago
Ante, ut antefero
Co uel con, ut cohibeo, comedo.

Duodecim: Quæ?

Quæ hinc excipiuntur?

Imprimis excipitur refert pro interest, uel distat, & reijcio, quæ primam producunt.

Virgilius:

Est numerus, neque enim numero comprehendere refert——.

Idem:

Reijciunt——parmas & equos ad mœnia uertunt.

Statius primam in reijcio corripuit: sed tum scribendum est per simplex i, ut:

Tela manu rei – ∪∪ citq; canes in uulnus hiantes.

hic obseruandum contractionem nisi longam.

Secundò excipitur cogo, quod primam producit, quod est ex co & ago compositum.

Quot sunt præpositiones, quæ producuntur in compositione, si non sequatur vocalis?

Sex.	Quæ?
A, ut amitto	Di, ut diligo
De, ut deduco	Se, ut secubo
E, ut egero	Præ, ut prædiues,

sed hæc etiam diphthongo nota est.

Quæ hinc excipiuntur?

Excipiuntur imprimis, Aperio, Dirimo, & Dissertus, quæ primam corripiunt: Sed Aperio Priscianus ait compositum ex ad & pario, abiecto d.

Iuuenalis:

Fuste ape – ∪∪ rire caput, candelam apponere ualuis. Virgilius:

Cede deo dixitq; & prælia uoce di – ∪∪ remit. Horatius:

Fœcundi calices, quem non fecêre di – ∪∪ sertum.

His adde Omitto & Operio, quæ corripiunt primam. Horatius:

Plæraq;

Plæraque differat & præsens in tempus o – ∪ ∪
mittat.

Propertius:

Atq; himuli pellis totos ope – ∪ ∪ ribat amantes.

Quanta est præpositio pro?

Pro quando naturam præpositionis latinæ retinet, producitur, ut profero, Propono, Prodo, Prosequor. In græcis autem dictionibus semper corripitur, ut Prolepsis, Propheta, quemadmodum etiam in latinis, quando naturam suam amittit, & ex Procul aut Prope esse uidetur, ut in his: propero, proteruus, procello, procella, pronepos, profestum, profugio, profugus, profugo, profano, profanus, profundus profiteor, proficiscor, procio, prosor, profecto aduerbium.

In his communis est.

Propino, prologus, procuro, profundo, propello, propulso, propago uerbum: Nam nomen pro uite producitur, pro progenie corripitur.

Virgilius:

Syluarumq; aliæ pressos pro – – paginis arcus.

Idem:

Sit Romana potens Itala uirtute pro – ∪ ∪ pago.

Quis est quartus modus?

Com-

Compositio tibi primæ syllabæ quantitatem indicat hoc modo: si nescis, quanta sit prima dictionis simplicis, eam compone & accentum perpende, qui si fuerit in latinis acutus aut circumflexus, producta censetur syllaba: sin grauis, correpta: ut po ∪ tens, impotẽs, cla - rus, præclarus, se ∪ co, reseco, spi - ro, aspiro. Si dictio composita fuerit tetrasyllaba, fac eam redigas, si hoc possit fieri, in trisyllabam: nam accentus nusquam te iuuat, nisi in penultima syllaba: ut fo ∪ dio, persodio, persodis, fugio, confugio, confugis, si - nio, definio, definis, mu - nio, communio, communis.

Quis est quintus modus.

Vocalis ante uocalem in latinis dictionibus corripitur: ut, Deus, Pius, Tuus.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Sex.

Quæ est prima?

Fio uocalem ante uocalem producit, nisi e & r subsequantur, ut: fierem, fieri.

Quæ est secunda?

Ohe, primam communem habet.

Martialis:

Ohe -- iam satis est O - ∪ he libelle.

Iuuenalis:

Satur est cùm dicit Horatius Ohe --.

Sunt

Sunt qui idem hæc Aha & uaha interiectionibus opinentur.

Quæ est tertia?

Eheu & hëu dissyllabum primam producunt.

Ouidius:

Dixerat, hæc resonis iterabat uocibus
Eheu--

Martialis:

Hëu--quàm bene nunc papyriane.

Quæ est quarta?

Diana primam indifferentem habet.

Virgilius:

Exercet Di--ana choros.

Ouidius:

Ira pharetratæ fertur satiata Di-uvanæ.

Quæ est quinta?

Aër & Dius, ex græcis sunt & producuntur, ut & alia quædam.

Quæ est sexta?

Caius cùm sit trisyllabum, & Cai dissyllabum, producunt a ante i uocalem factam ex consonante, ut Martialis:

Peruigil in plumis Caïus-uu ecce iacet.

Idem:

Quod peto da Cai, non peto consilium.

Quis est sextus modus?

Deri-

Deriuatiua dictio, si literatura non mutetur, plerumque retinet quantitatem primitiuæ, ut amabilis primam corripit sicut amo, clamor primam producit sicut clamo: Si literatura non mutetur, diximus ideo, quia si uocalem non sequatur eadem litera in deriuatiua, quæ sequebatur in primitiua dictione, nō est mirandum mutari quantitatem: ut mobilis & momentum primam producunt, quæ in moueo unde formantur; corripitur.

In uerborum coniugationibus præsens præteritum & supinum obseruanda sunt: Quæ à præsenti formantur, retinent quantitatem præsentis: quæ à præterito, præteriti: quæ uerò à supino, supini: ut, mouebam, mouebo, moue, moueto, mouear mouere primam corripiunt, quia formantur à moueo.

Moueram autem, mouissem, mouerim, mouero, mouisse, primam producunt, quia formantur à mouī præterito dissyllabo, quod primam producit.

Sic motus, a, um, moturus, motor, motrix, mōtio, motus us ui motiuus primam producunt, quia deriuantur à motum supino dissyllabo, quod primam producit.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Duæ. Prior: hæc & quædam alia à primitiuis breuibus producuntur, uox uocis uociferor à uoco: lex

lex legis à lego: sedes à sedeo: regula & rex regis à rego: tegula à tego: laterna à lateo: uomer à uomo: uena à uenio: petus à peto: remus à remo: rapum à rapio: uires à uireo: humor humanus ab humo: uitupero à uitium & paro: macero à macer: Ceritus à Cererе: pedor à pede: iugerũ à iugo: gradiuus à gradu: Stipendium à stipe, Sicelis à Siculus: Feralis à ferendo uel fera: fecius à fecus: Feriæ feriari à feriendo: Priamides à Priamus: Chius possessiuum à Chios.

Quæ est altera exceptio.

Hæc & quædam alia à primitiuis longis corripiuntur: dux ducis à duco: dicax, maledicus, causidicus, à dico: innuba, pronuba, à nubo: Connubium uariatur: arena, arista, ab areo: nihilum à ne & hilum: Lucerna à luceo: manus à mano: sopor à sopio: lituus à lite, appulus ab appula: uadum à uado: noto à notu: nato à natu: status à statu supino: item status a um ab eodem: sagax à sagio: acerbus ab adiectiuo acer: siquidem à si & quidem: lotium à lotu: uitium à uito: fatuus à fatu: uaricosus à uarix: stabilis à stabam: odium ab odisse: numisma à numo: fides à fio: coma à como: quater quaternus à quatuor: cythera à cythera.

Quis est septimus modus?

Regula.

Quot

Quot dantur regulæ ad primam ſyllabam cognoſcendam?

Quinque.

Quæ eſt prima?

Omne præteritum diſſyllabum primam producit: ut uidi, feci, legi, ſuaſi, iuui, egi.

Quæ hinc excipiuntur?

Sex ſequentia: Bibi à bibo: Fidi à findo: Steti à ſto: Dedi à do: Scidi à ſcindo: Tuli à fero.

Quæ eſt ſecunda regula?

Omne præteritum geminans principium primã corripit: ut, momordi, totondi, fefelli, pepuli, pependi, tetendi, popoſci.

Quæ eſt tertia regula?

Cæterorum præteritorum tanta eſt prima, quanta præſentis: ut amaui primam corripit ſicut amo, clamaui primam producit ſicut clamo.

Quot hinc excipiuntur?

Quatuor:
- Coëgi à cogo
- Genui à gigno
- Poſui à pono
- Potui à poſſum.

Quæ eſt quarta regula?

Omne ſupinum diſſyllabum primam producit, ut: potum,

potum, risum, motum, lusum, esum, rasum, statum, quod tamen quidam malè corripiunt.

Quot hinc excipiuntur?

Nouem. Citum à Cieo secundæ coniugationis
Datum à do (nisi
Litum à limo
Ratum à reor
Satum à sero
Itum ab eo
Quitum à queo
Rutum à ruo
Situm à sino.

Quæ est quinta regula?

Bi & tri in compositione corripiuntur: ut biceps, bidens, biuium, triceps, tricorpor, tricuspis, tridens, &c. Excipe tamen biduum, & triduum.

Quis est octauus modus?

Exemplo cognoscitur quantitas primæ syllabæ, quoties ad probati poëtæ confugimus authoritatem, ut si dubites, quanta sit prima in Saturno, poteris ex illo Nasonis fieri certior.

Postquam Satur--no tenebrosa in tartara misso.

De mediæ syllabæ quantitate cognoscenda.

Quot modis mediæ syllabæ quantitas cognoscitur?

Octo: Positione, ut amantes
Diphthongo, ut longæuus
Accentu, Producto, ut fortuna
Accentu, Correpto, ut tabula.
Diminutione, ut amicorum amicus
Vocali ante uocalem, ut filius
Deriuatione, ut fœlicior à fœlici
Regula, ut omnipotens
Exemplo, ut castaneasq; nuces.

De positione & diphthongo dictum est suprà; omnem uidelicet syllabam, quæ positionem aut diphthongum habeat, produci.

Quis est tertius modus?

Accentus.

Quid est accentus?

Est certa lex siue regula ad eleuandas deprimendasq; syllabas uniuscuiusque dictionis.

Quotuplex est accentus?

Triplex: acutus, grauis, & circumflexus. Et quæcunque syllaba acuitur uel circumflectitur, longa est: ut do-

ut doctiôres, Românus, animâlis, pietâtis. Si autem grauatur, breuis est: ut dominus, legimus.

Quæ hinc excipiuntur?

Excipiuntur, eximde, deinde, perinde, proinde, subinde, exaduersum, aliquando, siquando, nimirum, duntaxat, enimuero, & id genus reliqua, in quibus ante penultima acuitur, tametsi penultima sit longa, ne scilicet bimæ dictiones uideantur. Quidam addunt utraque et pleraque. Sed hæc tu, quando nominatiui uel accusatiui casus sunt, acue in antepenultima: ut útraque, pléraque: quando uerò ablatiui casus sunt, in penultima, ut utráque, pleráque. His adde frigefácis, calefácis: Item uocatiuos nominum propriorum in ius, ut Vergili, quæ ultimam breuem habent acutam. Acutus quoque accentus qui est ex enclíticis dictionibus, non efficit syllabas longas, ut illéne, homóne, bestiáne.

Quis est quartus modus?

Diminutione media syllaba cognoscitur, maximè antepenultima: cùm detracta syllaba fit penultima, & sic innotescit accentu, ut amicorum producit antepenultimam, quia amicus producit penultimam.

Quis est quintus modus?

Vocalis ante uocalem in latinis dictionibus corripitur, ut filius, tenuis, castanea.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Quinque. Prima, in genitiuis & datiuis quintæ declinationis e inter duo i producitur: ut diei, facici, progeniei, quando autem hoc non fit, corripitur: ut, spei, fidei, rei, quod tamen Lucretius ubique fere longa e ponit: ut & datiuum pronominis ei.

Quæ est secunda exceptio?

Genitiui in ius diuisas syllabas communem habent penultimã in uersu, ut illius, istius, unius, ipsius, nullius, &c.

Quæ hinc excipiuntur?

Alius semper producit penultimam, Alterius uero corripit, unde uersus:

Corripit alterius, semper producit alius.

Quę est tertia exceptio?

Genitiui antiqui per Diæresin dicti: ut aulai, pictai, animai, a ante i producunt.

Quæ est quarta exceptio?

Possessiua in eius, eia, eium, antepenultimam longam habent: ut, Priameius, Aeneius, Cybeleius, Rhodopeius: Item Confio, defio, & defioculus apud Martialem, ut quibusdam placet, uocalem ante uocalem producunt, sic Pompëi, uultëi, uocatiui quando Diæresin admittunt. Infio autem & Suffio mediam corripiunt.

Quæ

Quæ est quinta?

Quæ apud Græcos aut diphthongo scribuntur, aut uocali longa, cùm latinè dicuntur, naturam suam seruant & producuntur, ut οἰκία, ᾠοῦσθαι, ἥρως, θάλεια, Aeneas, Spondeus, Eous, Thalia. Excipiuntur, χορεία & πλατεῖα, Chorea, platea, quæ penultimam habent indifferentem, sicut academia.

Quis est sextus modus?

Deriuatione cognoscitur media syllaba, si quanta sit in primitiuo consideraueris: nam si nescias ăto, in uictorinus quanta sit. item ĭsti in Iustinianus, cognosces ex Victoris & Iustinus primitiuis, in quibus ăto & ĭsti producuntur. Eodem modo si nescias uenereus & hectoreus quantam habeant antepenultimam, cognosces ex Veneris & Hectoris primitiuis, in quibus ne & ăto corripiuntur, quod accentus facile ostendit.

Item hæc antepenultimam habent longam.

Amabilis ab amatum, delebilis à deletum, uolubilis à uolutum, errabundus ab erratu, uagabundus à uagatum, sitibundus à sititū, uerecundus à uereris.

Hæc penultimam.

Lauacrum à lauatum, simulachrum à simulatum, ambulacrum ab ambulatum, inuolucrum ab

inuolutum, uolutabrum a uolutatum, aratrum ab aratum.

NOTIO.

Candelabrum & delubrum, penultimam habent indifferentem, productio tamen usitatior.

Quis est septimus modus?

I *in compositione ita medium ut priorem partium componentium terminet, corripitur: ut agricola, ensifer, magnificus, artifex, multiuolus, omnipotens, utique & cæt. His adde docibilis, uestibulum, patrimonium, furibundus, tribunitius, igniculus, nauicula, & similia, in quibus i corripitur.*

Quæ hinc excipiuntur?

Excipiuntur, tanticunque, tantidem, quanticunque, qualicunque, unicuique, cuiuis, cuilibet, cuidam, utrique, cuiquam, cuinam, cuipiam, plerique, tibicen, ibidem, ubique, in quibus i producitur. His adde bigæ, quadrigæ, quando per contractionem dicuntur, & matricida quod produxit Ausonius, ut matricida Nero proprio se proculit ense: at parricida ri corripit, quare etiam in Matricida correptio uidetur esse tutior.

Quæ est secunda exceptio?

In his i est indifferens ubicunque, quotidie, quotidianus, meridies, meridior, pridie, postridie.

Quid

Quid præterea hîc obſeruandum?

Ea quæ in epriorem partem deſinunt, ſi ſint ex uerbis compoſita pleraque, communem eam ſyllabam faciunt, ut liquefacio, tepefacio, expergefacio, patefacio, patefio, rarefacio, &c. ut Ouidius:

Thura liquefaci – ∪∪ unt.

Virgilius:

Et media aduerſi liquę – ∪∪ facto tempora plumbo Diffidit.

Sin autem aliunde compoſita ſint, fermè corripiuntur: ut huiuſcemodi, cuiuſcemodi, & quæ cum ne priuandi particula componuntur, ut nefaſtus, nefas, nequeo correpta ſunt, præter nequidquam quod primam producit, & ueneficus quod mediam longam habet.

Ouidius:

Barbara narratur ueniſſe uenefica – ∪∪ tecum.

Quis eſt octauus modus?

Exemplo cognoſcitur mediæ ſyllabæ quantitas, quoties ad probati alicuius poëtæ, ut ſuprà dictum eſt, confugimus authoritatem, ut ſi neſcias quanta ſit u in pecunia, poteris ex illo Horatij fieri certior.

Et genus & formam regina pecunia – ∪∪ donat.

De vltimæ ſyllabæ quantitate cognoſcenda.

Quot modis cognoſcitur vltimæ ſyllabæ quantitas?

Quatuor: Poſitione, ut ſapiens
Diphthongo, ut muſæ
Regula, ut amo
Exemplo, ut huc ades.

Quot ſunt regulæ, quibus vltimæ ſyllabæ quantitas cognoſcitur?

Quindecim, quarũ octo producuntur, ſex corripiuntur, una fit communis.

Quæ eſt prima regula?

A finita producuntur, ut ama, contra, prætereà, à poëta, à muſa.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Tres. Prima, nominatiui accuſatiui & uocatiui in a corripiuntur, ut hic & ô poëta, propheta, hæc & ô templa, carmina, præter uocatiuos à nominatiuis græcis in as, ut ô Aenea, Palla, & græca in a producta, ut Nemea, Teged.

Quæ

Quæ est secunda exceptio?

Numeralia in ginta, ut trigimta, quadraginta, quinquaginta, habent ultimam communem, producto tamen tutior, ut Martialis:

Sexaginta te – ∪∪ ras cum limina mane uiator.

Virgilius:

Trigimta capi – ∪∪ tum fœtus enixa iacebit.

Ingenta uero & gena corripiuntur.

Quæ est tertia exceptio?

Ita, quia, corripiuntur, addunt quidam eia pro bo authore.

Quæ est secunda regula?

C finita producuntur, ut dic, duc, halec, illuc, istuc, hic aduerbium.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Duæ: Prima, nec, donec, lac, corripiuntur, quamquam tamen correptionis exemplum de lac non adferatur.

Quæ est secunda?

Fac & hic pronomen indifferentia sunt, Ouid.

Hos fac – – Armenios.

Idem:

Mille fac – ∪ ∪ esse iocos.

His addunt hoc, in quo tamen productio tutior est.

Quæ est tertia regula?

I finita producuntur, ut diei, amari, dixi, uesperi.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Tres. Prima, nominatiui datiui & uocatiui græci in i corripiuntur: ut meli, huic Palladi, Minoidi, Titani, ô Phylli, Alexi, Pari, Amarylli.

Virgilius:

Mirabar quod mœsta deos Amarylli uo-uu cares.

Ouidius:

Bella gerant alij, tu Pari-uu semper ama.

Interdum tamen huiusmodi datiui leguntur ultima longa, uel cùm latinam formam sequuntur, uel cùm in cæsura ponuntur.

Quæ est secunda exceptio?

Nisi, quasi, & sicuti corripiuntur.

Quæ est tertia?

Mihi, tibi, sibi, ubi, ibi, & cui dissyllabum, ultimam habent communem, Moly desinens in y, corripit ultimam.

Quæ est quarta regula?

N finita producuntur: ut Titan, en, quin, Delphin, Dæmon, canon, Pæan, Siren, Helicon, Ixion, hymen, cuius uocatiuum tamen corripuit Catullus.

Quot fiunt hinc exceptiones?

Tres, Prima, forsan, forsitan, tamen, attamen, in cum

cum compositis, ut dein, exin, proin, uiden, men, an, corripiuntur.

Quæ est secunda exceptio?

Neutra & masculina in en habentia inis in genitiuo, corripiuntur: ut nomen, carmen, gramen, pecten, Tubicen, Flamen.

Quæ est tertia exceptio?

Nominatiui, accusatiui, & uocatiui Græci in on per o paruum corripiuntur, ut Ilion, Pelion, Pylon, Cantharon. Item accusatiui in IN, ut Alexin, Daphnin, Capyn, Thetin, & in an à nominatiuis in a, ut Ephigenian, Aegiman, Maian: nam à nominatiuis in as producuntur, ut Aenean, Borean.

Quæ est quinta regula?

As finita producuntur, ut ciuitas, Musas, amas, foras, fas, nefas, Aeneas, facias.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Duæ. Prima, nomina in as tertiæ declinationis fœminina corripiuntur, ut Pallas, Lampas, Arcas, Plëias.

Ouidius:

Aequa Venus Teucris Pallas iniqua fuit.

Quæ est secunda?

Accusatiui Græci in as eorum nominum, quæ per os faciunt genitiuũ, corripiuntur: ut Aonas, Heroas, Garamantas, Rhetoras, Troas, Cratcras.

Quia

Ouidius:

In te fingebam uiolentos Troas ituros.

Quæ est sexta regula?

Es finita producuntur, ut uulpes, fraudes, dotes, leges, audes, nubes, dares, lues, decies, quoties, fides.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Tres. Prima, corripientia penultimam genitiui crescentis corripiuntur: ut dies, miles, seges, eques, teges, præter aries, paries, abies, ceres & pes, cum compositis: ut, tripes, sonipes, quadrupes, quæ producuntur.

Virgilius:

Stat sonipes & -- frena ferox spumantia mandit.

Quæ est secunda?

Nominatiui Græci plurales in es corripiuntur, ut Arcades, Thraces.

Virgilius:

Ambo florentes ætatibus Arcades - ∪∪ ambo.

Quæ est tertia?

Es à sum compositis, potes, ades & reliquis: penes, hippomanes, cacoethes, quæ scribuntur per e græcè, corripiuntur. Es uerò ab edo producitur differentiæ causa, inquies alij produci, alij corripi autumant.

Vir-

Virgilius:

Huc ades – ∪∪ô Melibœe, caper tibi ſaluus & hœdi.

Quæ eſt ſeptima regula?

Os finita producuntur: ut dos, mos, mimos, hõnos, nepos, magiſtros, os oris.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Duæ. Prima, os oßis cum compoſito exos. Item compos & impos corripiuntur.

Lucretius:

Exos & – ∪∪ exanguis tumidos perfluctuat artus. Ouidius:

Inſequere & uoti poſtmodo compos e – ∪∪ris.

Quæ eſt ſecunda?

Græca in os per ŏ paruum corripiuntur: ut, Delos, lios, Chaos, Pallados, Orpheos, Tereos, Aenciados.

Quæ eſt octaua regula?

V finita producuntur: ut fluctu, manu, tu, diu, matu, dictu.

Fiunt hinc etiam exceptiones?

Volunt quidam Grammatici excipi neutra in nõminatiuo, accuſatiuo & uocatiuo, quæ corripi affirmant, ut cornu, genu, gelu. Alij contrà in u produci aiunt

aiunt omnia, quorum uerior est sententia, quia exempla correptionis non satis certa afferuntur.

Quæ est nona regula?

B d m t finita corripiuntur: ut ab, ad, militum, caput.

Quæ hinc excipiuntur?

Excipiuntur, in quibus facta est Syncopa: ut fumat pro fumauit, obit pro obiuit: qua tamen exceptione hoc loco alij non putant esse opus, cùm & alia quædam in T, in quibus nulla facta est Syncope, legantur producta: quæ uel cæsura, uel quod communia redduntur, excusantur: ut Iuuenalis:

Quis nescit? aut -- quis non audit uulnera pallæ

Virgilius:

Sceptra Palatini sedemq; petit E -- uandri.

Quæ est decima regula?

E finita corripiuntur: ut cubile, mille, fortè, scribere, lege, penè, ritè, sæpè, facilè, pone, impunè, mane.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Quinque. Prima: Græca in e longum producuntur: ut musice, ô Anchise, Penelope. Et pluralis quæ

quæ ex ex in x contrahuntur, ut mele, cete, tempe.

Quę est secunda?

Ablatiui quintæ declinationis producuntur: ut, die, fide, fame, specie: Et quæ inde componuntur, ut hodie, pridie, quare.

Quæ est tertia?

Imperatiua singularia secundæ coniugationis producuntur: ut doce, mane. Excipe uale, uide, & caue, quæ ultimam habent communem: caue tamen ubique ferè corripitur.

Ouidius:

Idq; quod ignoti faciunt uale - ∪∪ dicere saltem.

Horatius:

Vade, uide, caue, ne titubes mandataq; frangas.

Cato:

Hoc uide ne rursum leuitatis crimine damnes.

Quæ est quarta?

Monosyllaba, me, te, se, de, ne prohibendi producuntur, præter encliticas coniunctiones, ne, que, uestem syllabicæ adiectiones, pte, te, ce, ut meapte, tute, hicce.

Quæ est quinta?

Aduer-

Aduerbia in e rectè formata à datiuo in o producuntur, ut pulchrè, doctè, bellè, cautè: Sic ualdè, ferè, fermè. His additur Ohe: malè uerò & benè corripiuntur.

Quæ est vndecima regula?

L finita corripiuntur, ut tribunal, mel, uigil, consul, exul.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Duæ. Prima, pol, sol, & nil producuntur: ex quibus Pol apud Terentium nonnunquam corripitur.

Quæ est secunda?

Barbara in el producuntur, ut Michaël, Daniel.

Quæ est regula duodecima?

R finita corripiuntur, ut lacunar, imber, uir, calor, murmur, martyr.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Tres: Prima, far, nar, far, uer, fur, cur, par cum compositis compar, impar, dispar, producuntur.

Ouidius:

Heu mihi quam dispar – est locus iste Getis.

Quæ est secunda?

Cor commune est, sed correptum frequentius.

Ouidius:

Confiteor misero molle cor – ∪∪ esse mihi.

Quæ

Quæ est tertia?

In er, à Græcis in ηρ, quæ genitiuum per eris longum uel breue formant, producuntur: ut aër, crater, iber, character, æther, &c præter pater & mater, quæ semper ultimam contrahunt, etiamsi à Græcis in ηρ ueniant: sed hæc declinantur per tris, non eris: Celeber ultimam uariat.

Quæ est regula decimatertia?

Is finita corripiuntur: ut ignis, Paris, quis, bis, Tyndaris: sic etiam quæ per y scribuntur, ut chelys, Capys, Libys.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Septem. Prima, datiui & ablatiui plurales in is producuntur: ut Dominis, Musis, nobis, uobis, meis, quis pro quibus.

Quæ est secunda?

Producentia penultimam genitiui crescentis producuntur: ut lis, glis, Samnis, Delphis, Dis, Salamis.

Ouidius:

Lis est — cum forma magna pudicitiæ.

Quæ est tertia?

In is, à Græcis in εις diphthongum producuntur: ut Pyrois, Simois.

Quæ est quarta?

Vis nomen, uis uerbum cum compositis quamuis, quiduis, quiuis: & sis cum compositis, adsis, prosis, possis, & similibus producuntur.

Virgilius:

Quamuis -- Elysios miretur Græcia campos.

Quæ est quinta exceptio?

Secundæ personæ singulares in is quartæ coniugationis producuntur: ut audis, dormis, nescis, abis.

Martialis:

Nescis -- heu nescis dominæ fastidia Romæ.

Quæ est sexta?

Velis cum compositis malis, nolis, producitur.

Iuuenalis:

Esse uelis o -- ro serus conuiua tonantis.

Quæ est septima?

Secundæ personæ singulares futuri subiunctiui modi, habent ultimam communem: ut dederis, audieris. Alij tamen hæc ita distinguunt, ut in præteritis ultimam breuem, in futuris uerò ultimam longam esse uelint: & quæ exempla correptionis proferuntur, præteriti esse aiunt, quæ productionis, futuri.

Horatius:

Cuncta manus auidas fugient hæredis amico,
Quæ dederis ani -- uumo.
Idem:

Dixe-

Dixeris – ∪∪ egregiè notum si callida uerbum.

Quæ est regula decimaquarta?

Vs finita corripiuntur: ut Deus, Angelus, lupus, sumus, radicitùs, intrinsecùs.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Quatuor. Prima, genitiui singulares & nominatiui, & accusatiui, & uocatiui plurales quartæ declinationis producuntur: ut huius, hi, hos, & ô fructus: huius, hæ, has, & ô manus.

Ouidius:

Adde manus in – – uincla meas, meruére cathenas.

Quæ est secunda?

Producentia penultimam genitiui crescentis producuntur: ut, uirtus uirtutis, tellus telluris, palus paludis: tametsi licenter Horatius palus contraxerit, hoc carmine:

Regis opus sterilisq; diu palus – ∪∪ aptaq; remis:

quod Grammatici per figuram defendunt, elisione uidelicet τοῦ σ.

Quæ est tertia?

Monosyllaba in us producuntur: ut, ius, thus, plus, mus, grus, pus, sus.

Iuuenalis:

Plus aloës quàm mellis habet, &c.

Quæ est quarta?

Græca in us, quæ genitiuum faciunt per untis, uel quæ sunt ex contractis in oos producuntur, ut panthus. Sapphus, Amatus. A pus tamen composita etiam corripiuntur: ut Polypus apud Horatium.

Polypus — ∪∪ an grauis hirsutis cubet hircus in alis.

Quæ est regula decima quinta?

In o finita communia sunt: ut amo, scribo, amando, uirgo, ferò, ergo, quando: item sedulò, mutuò, crebrò, profectò, in quibus tamen productio tutior.

Quot hinc fiunt exceptiones?

Quinque. Prima, datiui & ablatiui in o producuntur: ut magistro, templo. Sic quoq; quæ ab eisdem casibus fiunt: ut ideò, adeò, tantò, quantò, meritò, falsò, uerò, iocò, primò, &c.

Quæ est secunda?

Monosyllaba in o producuntur: ut do, sto, pro, flo, ô interiectio.

Quę est tertia?

Græca in o magnum fœminina producuntur: ut Dido, manto, Io, Echo: præter ego, quod quidam semper

semper corripi tradunt, etsi exempla non desunt, ubi producuntur. Virgilius in Diris:

Ausus ego pri -- mus castos uiolare pudores.

Masculina uerò græca apud latinos plerumque corripiuntur, ut Apollo, Plato, Zeno, &c.

Quæ est quarta?

Duo & Scio cum compositis corripiuntur.

Virgilius:

Si duo - ∪∪ præterea tales Idea tulisset
Terra uiros. Idem:
Nescio - ∪∪ quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Quæ est quinta?

Ilicò, modò, citò, quomodo contrahuntur.

De pedibus metricis, quorum frequentior est usus.

Quatuor dissyllabi.

Pyrrichius	∪∪	ut Deus
Spondeus	--	ut laudes
Iambus	∪-	ut dies
Trochæus	-∪	ut annus.

Octo trisyllabi.

Dactylus	-∪∪	ut carmina
Anapæstus	∪∪-	ut domini

Molossus	– – –	ut complexio
Tribrachys	∪ ∪ ∪	ut bibere
Amphibrachys	∪ – ∪	ut amare
Amphimacer seu Creticus	– ∪ –	ut castitas
Bacchius	∪ – –	ut uereri
Antibacchius	– – ∪	ut cantare.

Compositi tetrasyllabi sedecim.

Proceleusmaticus	∪ ∪ ∪ ∪	ut hominibus
Dispondæus	– – – –	ut inconstantes
Choriambus	– ∪ ∪ –	ut historiæ
Antispastus	∪ – – ∪	ut secundare
Diiambus	∪ – ∪ –	ut seueritas
Dicrochæus	– ∪ – ∪	ut comprobare
Ionicus à maiore	– – ∪ ∪	ut cantabimus
Ionicus à minore	∪ ∪ – –	ut uenerantes
Epitritus 1.	∪ – – –	ut salutantes
Epitritus 2.	– ∪ – –	ut concitati
Epitritus 3.	– – ∪ –	ut communicant
Epitritus 4.	– – – ∪	ut incantare
Pæon 1.	– ∪ ∪ ∪	ut conficere
Pæon 2.	∪ – ∪ ∪	ut resoluere
Pæon 3.	∪ ∪ – ∪	ut sociare
Pæon 4.	∪ ∪ ∪ –	ut temeritas.

Ex his pedibus præcipuè obseruabis quatuor disyllabos: et ex trisyllabis Dactylum, Anapæstum, et Tri-

Tribrachyn: ex tetrasyllabis uerò Proceleusmaticum, & Choriambum, quorum frequentiss'mus est usus apud poëtas. Ex pedibus conficiuntur uersus.

Quid igitur est versus?

Versus est certa legitimáq; pedum compositio, numero modoq; finita.

Quot accidunt versui?

Octo. Quæ?

Quantitas, Forma, Genus, Species, Dispositio pedum, Depositio, Cæsura, & Scansio.

1. Quid est quantitas in versu?

Est, qua dimensiones seu pedes uersuum numerantur ut alij sunt monometri, qui binis pedibus absoluuntur: alij dimetri qui quatuor: alij trimetri qui sex: alij tetrametri qui octo: atq; hoc in Iambicis, & Trochaicis, in quibus ob pedum breuitatem duos pedes inter scandendum docti coniungere solent, proq; uno reputare. In dactylicis autem, et quæ illationibus sunt pedibus, Hexametri dicuntur, qui sex pedibus constant: Pentametri qui quinque.

2. Quid est forma?

Qua uersus alij simplices, id est, unius generis dicuntur: alij multiplices, id est, compositi ex uarijs generibus.

3. Quid est genus?

Est appellatio, quam accipit uersus à principali pede, quo conficitur: Sic alij dicuntur Iambici, alij Trochaici, alij Dactylici, alij Anapæstici, alij Choriambici, alij Antispastici, alij Ionici à maiore, alij Ionici à minore, alij Pæonici, &c.

4. Quid est species?

Species est, quam in unoquoque genere quantitatis & depositionis uarietas generat: quæ deinde uel ab authore aliquo, uel à materia & usu, uel à numero syllabarum cognominatur: ab authore, ut Sapphici, Pyndarici, Archilochij, Asclepiadei, Gliconici, Alcaici, &c. A materia, ut Heroici, Pythij: A numero syllabarum, ut Hendecasyllabi, &c.

5. Quid est dispositio pedum?

Qua cognoscimus in unoquoq; genere, qui pedes quibus locis seu regionibus poni debeãt, aut possint.

6. Quid est depositio?

Est desinentia uersus, qua alius in perfectum pedem exit, alius plus minúsue, quàm pedis ratio, á quo dicitur, exposcit, syllabarum habet.

Quot sunt species depositionis?

Quatuor. Quæ?

Acatalectica, Catalectica, Brachycatalectica, & Hypercatalectica.

Qui

Qui versus dicuntur Acatalectici?

Qui eum pedem habent integrum in fine, à quo ipsum metri genus appellatur.

Qui dicuntur Catalectici?

Quibus in fine syllaba deest ad perfectionem eius pedis à quo metrum nomen habet. Qualis est ille:

Cultor Dei memento.

--| ∪-| ∪-| -|

est enim Iambicus dimeter.

Qui dicuntur Hypercatalectici?

In quibus una aut duæ supersunt syllabæ: quale est illud Boëthij Dactylicum, Alcmanium, Trimetrum:

Omne hominum genus in terris.

-∪∪| -∪∪| --|

ubi ris syllaba abundat: Et illud Anapæsticum monometrum Aldi Manutij:

Pereant homines mali.

∪∪-| ∪∪-|

in quo mali duæ syllabæ abundant.

Qui dicuntur Brachycatalectici?

In quibus deest interger pes: quale est illud eiusdem Trimetrum Iambicum:

Pauci beati non boni pauci.

– – | ∪ – | – – – | ∪ – | – – –

hîc deest sextus pes, ut sit Iambicum perfectum.

7. Quid est cæsura?

Cæsura est certa quædam pedum in medio uersus intersectio, ita ut pars eorum ad præcedentem, pars ad sequentem dictionem referatur.

Quot sunt huius species?

Tres. Quæ? πεντημιμερὴς semiquinaria
ἑφτημιμερὴς semiseptenaria
ἡ κατὰ τρίτον trochaica tertia.

Quæ est cæsura semiquinaria?

Cùm post duos pedes simplices una syllaba relinquitur, quæ dictionem absoluit: ut

Omnia uincit amor.
Conticuêre omnes.

Quæ est semiseptenaria?

Quando post tres simplices pedes relinquitur syllaba, quæ dictionem absoluat: ut,

Tityre tu patulæ recubans.
Tum demum mouet arma leo.

Quæ est trochaica tertia?

Quando post duos pedes simplices, duæ syllabæ res-

restant, quæ dictionem absoluunt, quarũ prior longa est, & altera breuis, trochæum constituant: ut,

Ille meas errare.

NOTIO.

Apud Grammaticos pro Heroicis non habeantur, qui ab omni cæsura liberi & soluti compositi sunt: qualis est, si dicas:

Dulcia scribit carmina filius absque labore.

Et:

Vrbem fortem cœpit nuper fortior hostis.

8. Quid est scansio?

Est legitima carminis per singulos pedes commensuratio.

Quomodo scanduntur versus?

Alij per monopodiam, id est, singulis pedibus suæ generis in singulas dimensiones computatis: alij per dipodiam, id est, duobus pedibus in unam dimensionem computatis, ut in Iambicis, Trochaicis, Anapæsticis docti facere solent. Tu tamen ne erres, etiam hos per monopodiam metiri poteris.

De scansione, paulò pòst plura.

De aliquot carminum generibus, in quibus se præcipuè iuuenis exercebit.

Vtile

Vtile est paulatim à facilioribus ad difficiliora progredi: incipiendum itaque ab Adonio.

De Adonio.

Adonium constat duobus pedibus, Dactylo & Spondæo: ut,

-ᴗᴗ | -¯ |

Optime princeps
Dilige tota
Pectore doctos.

Et:

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sydera lumen.

De Archilochio dimetro.

Archilochium Dactylicum, Dimetrum Hypercatalecticum, constat duobus dactylis & syllaba, ut:


-ᴗᴗ | -ᴗᴗ | ¯

Dulcia Pieridum
Carmina disce libens
Artibus ingenuis
Nocte dieq; uaca
Quo tibi perpetuò
Surgat honore decus.

De Ana-

De Anapæstico, Hypercatalectico.

Partheniacum, Anapæsticum, Hypercatalecticum tres habet regiones pedum: in prima regione recipit Anapæstum uel Spondæum: interdum etiam sed rarius Dactylum uel Iambum: In secunda similiter: in tertia Anapæstum tantùm cum syllaba: ut,




Fœlix nimium prior ætas
Contenta fidelibus aruis
Nec inerti prædita luxu.

Et apud Capellam:

Caput artibus inclyta uirgo
Cui panditur aula tonantis
Meritò tibi subditur orbis.

De Anapæstico acatalectico.

Anapæsticum acatalecticum constat quatuor pedibus: in prima, secunda, tertia, & quarta regione indifferenter admittit Spondæum uel Anapæstum: nõ tamen omnes possunt esse Spondæi, nonnunquam admiscetur & Dactylus, ut:



Est ebrietas fugienda quidem
Pueris studiosis qui cupiunt

Virtute

Virtute parare sibi ueram
Laudem superoq; placere Deo.

Item:

Est pernicies iuuenum ebrietas
Docile ingenium miserè interimit.
Podagram generat tremulasq; manus,
Hominis subitò bona cuncta necat.

Item:

Qui Pieridum tramite recto
Cupit excelsum scandere montem,
Cane mordaci peius & angue
Ignauam desidiam fugiat.

Vbi diligenter in his fueris exercitatus, in promptu tibi erunt uersus tum Hexametri, tum Pentametri, tum Alcmanij: Nam si coniunxeris Archilochiũ cum Partheniaco, habebis Hexametrum: ut,

Moribus ingenuis fœlix nimium prior ætas.

Si duos Archilochios coniunxeris, erit Pentameter: ut,

Dulcia Pieridum carmina disce libens.

Si subieceris Archilochio Adonium, fiet uersus Alcmanius: ut,

Dulcia Pieridum carmina discè.

De versu Hexametro.

Hexameter uersus sex constat pedibus, in prima, secun-

secunda, tertia, & quarta regione indifferenter recipit Dactylum uel Spondæum: in quinta solùm Dactylum: in sexta solùm Spondæum, uel Trochæum, quia ultima syllaba cuiusq; uersus est communis: ut,

—∪∪ | —∪∪ | —∪∪ | —∪∪ | —∪∪ | ⏑ ⏓ |
—— | — — | — — | — — |

Fama malum quo non aliud uelocius ullum
Mobilitate uiget, uiresq; acquirit eundo
Parua metu primo mox sese attollit in auras
Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit.

NOTIO.

Virgilius in prima regione etiam Anapæsto & Proceleusmatico usus est in hexametro uersu: ut,

Fluuio ∪∪ — rum rex Eridanus.

Et:

Genua la ∪∪∪∪ bant.

Item in medio:

Tityre pascentes à flumine reice cauuuupellas.

In quinta regione inuenias quoque Spondæum: ut,

Tunc ille Aeneas, quem Dardanio — — Anchisæ.

Et huiusmodi uersus dicuntur Spondaici.

De pentametro uersu.

Pentameter quinq; constat pedibus, diuiditurq; in duo Hemistichia, quorum utrunq; duobus pedibus con-

constat, & semipede, id est syllaba. In priore Hemistic hio recipit Dactylum uel Spondæum indifferenter, cum syllaba longa. In posteriore uerò duos Dactylos tantùm cum syllaba communi: ut,

-ᴗᴗ | -ᴗᴗ | - | -ᴗᴗ | -ᴗᴗ | ⏑
--| --|

Turpe quid ausurus te sine teste time
Vita perit, mortis gloria non moritur
Quod facturus eris, dicere sustuleris
Crux est, si metuas uincere quod nequeas.

Pentametra eleganter subijciuntur Hexametris, & dicuntur carmina Elegiaca, ἀπὸ τῆς ἐλεγείας, id est, lugubri carmine.

De Alcmanio.

Alcmanicum Dactylicum, Tetrametrum hypercatalecticum constat quatuor pedibus: In prima & secunda regione recipit Dactylum uel Spondæum, cum syllaba: in tertia solùm Dactylum: in quinta solùm Spondæum: ut,

-ᴗᴗ | -ᴗᴗ | - | -ᴗᴗ | -⏑
--| --|

Artibus ingenuis nocte dieq;
Fac studeas fili, sic mihi charus
Et cunctis fies sanguine iunctis
Hæ tibi namq; dabunt nomina chara
Et superis gratam ducere uitam.

Si Alcmæ

Si Alcmanio ſemipedem & pedem addideris, in medio poſt redundantem ſyllabam fiet Hexameter: ut,

Artibus ingenuis incumbas nocte dieq;.

Sic:

At regina graui ſaucia cura: Alcmanius eſt: At ſi dicas: At regina graui iam dudum ſaucia cura, Hexameter eſt.

De Iambico dimetro.

Iambicum Dimetrum Acatalecticum conſtat quatuor pedibus: recipitq; in locis imparibus, id eſt, prima & tertia ſede pedes quimque, Iambum, Spondæum, Dactylum, Anapæſtum, & Tribrachyn: uſitatiores tamen ſunt Iambus & Spondæus: in paribus uerò locis, id eſt, ſecunda & quarta ſede recipit Iambum & Tribrachyn, Iambum tamen frequentius, ut:

```
⏑ – |  ⏑ – |  ⏑ – |  ⏑ – |
– – |  ⏑ ⏑ ⏑ |  – – |  ⏑ ⏑ ⏑ |
– ⏑ ⏑ |  – ⏑ ⏑ |
⏑ ⏑ – |  ⏑ ⏑ – |
⏑ ⏑ ⏑ |  ⏑ ⏑ ⏑ |
```

Si literis laudem cupis

Studiosa pubes consequi
Veram, tuam fac moribus
Mentem imbuas pulcherrimis.

De Iambico Trimetro.

Iambicum Trimetrum Acatalecticum constat sex pedibus, recipitq; in locis imparibus & paribus eosdem pedes, quos Dimetrum: ut,

∪ –	∪ –	∪ –	∪ –	∪ –	∪ –
– –	∪ ∪ ∪	– –	∪ ∪ ∪	– –	∪ ∪ ∪
– ∪ ∪		– ∪ ∪		– ∪ ∪	
∪ ∪ –		∪ ∪ –		∪ ∪ –	
∪ ∪ ∪		∪ ∪ ∪		∪ ∪ ∪	

Bono probari malo quàm multis malis
Demens superbis inuidet fœlicibus.
Plures amicos re fecunda compares:
Paucos amicos rebus aduersis proba.

Concinnè autem Iambico Trimetro subijcitur Dimetrum: quemadmodum Hexametro Pentametrum, ut apud Horatium:

Beatus ille qui procul negocijs
Vt prisca gens mortalium

Patere

Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore.

De Iambico trimetro, quod σκάζον, id est, claudicans dicitur.

Iambicum Trimetrum Acatalecticum σκάζον, hoc differt à perfecto Iambico, quod hîc in sexta sede Spondæus esse debet, in quinta uerò semper Iambus: ut,

⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | – ⏑ |
– – | ⏑ ⏑ ⏑ | – – | ⏑ ⏑ ⏑ |
– ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ |
⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – |
⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ |

Talia sunt illa apud Persium:

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnaso
Memini, ut repentè sic poëta prodirem.

Inuenitur tamen etiam in huiusmodi Iambicis Spondæus in quinta regione, & Iambus in sexta apud Boëthium. Sed priora elegantiora sunt, & apud probatos poëtas usitatiora.

De Sapphico.

Sapphicum carmen constat quinque pedibus, Trochæo, spondæo, Dactylo, et duobus Trochæis, ut:

⏑–|––|–⏑⏑|–⏑|–⏑|

Qui uolet doctus patriam redire
In suam, & multa probitate clarus
Omnium lernam fugiat malorum
Ebrietatem.
Ocium uitet ueluti draconem:
Multa nam suadet pueris nefanda
Nil dedit mundi melius creator
Tempore nobis.
Tribus Sapphicis Adonium annectitur.

De Phalæcio.

Phalæcium carmen constat quinque pedibus: In prima regione frequentissimè recipit Spondæum: interdum etiam Trochæum & Iambum: in secunda Dactylum: in tertia, quarta, & quinta Trochæum: ut,

––|–⏑⏑|–⏑|–⏑|–⏑|
–⏑|
⏑–|

Catullus:

Disser

Disertißime Romuli nepotum
Quot sunt, quotq; fuêre Marce Tulli,
Quotq; pôst alijs erunt in annis.
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, peßimus omnium poëta,
Tantò peßimus omnium poëta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

Talia sunt & illa Martialis:

Vitam quæ faciunt beatiorem
Iucundißime Martialis hæc sunt,
Res non parta labore, sed relicta.

De Asclepiadeo.

Asclepiadeum constat quatuor pedibus, Spondæo, duobus Choriambis, & Pyrrichio in fine: ut,

— — | — ∪∪ — | — ∪∪ — | ∪ ⏑ |

Virgilius:

O fortuna potens quàm uariabilis
Tantum iuris atrox, quæ tibi uendicas,
Euertisq; bonos, eligis improbos,
Nec seruare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus.
Fortuna innocuos cladibus afficit.

Ausonius:

Quantò plus liceat, tam libeat minus.
Fœlix crimínibus nullus erit diu.
Ignoſcas alijs multa, nihil tibi.
Maiorum meritis gloria non datur.

De Gliconico.

Gliconicum carmen conſtat tribus pedibus, Spondeo, Choriambo, & Pyrrichio: ut,

– – | – ∪ ∪ – | ∪ ∪ |

Horatius:

Sic te diua potens Cypri
Ventorumq; regat pater
Nauis quæ tibi creditum
Reddas incolumem precor.

In prima ſede authore Terentiano interdum etiam Iambum, interdum Trochæum recipit: ut,

Anhelos panope greges
Ignis Iliacas domos.

Concinnè autem iunguntur Aſclepiadea & Gliconica, ut apud Horatium uidere licet: ut,

Sic te diua potens Cypri
Sic fratres Helenæ Lucida ſydera, &c.

Concinnè quoque poſt tria Aſclepiadea ſubiungitur Gliconicum, ut in Ode ſcholaſtica fecit Vranius: ut,

A nullo

A nullo faciem paupere candidam
Auertisse uelis, ne Deus & fuam
Auersam teneat, dura necessitas
Cùm te orare coëgerit.

De scansione carminum.

Vt rectè carmina scandere discas, sunt aliquot figuræ, quæ scansioni accidunt, obseruandæ.

Prima.

Synecphonesis, siue Synizesis, quando duæ uocales syllabis diuersæ, in scansione pro una accipiuntur, ut Virgilius:

Ferreiq; Eumenidum Thalami & discordia demens.

Idem:

Centum ærei claudunt uectes æternaq; ferri.

ubi rei in ferrei & ærei in unam contrahitur syllabam. Sic hæ dictiones, deinde, proinde, deinceps, in scandendo fiunt sæpè dissyllabæ: dees, deest, dehinc, cui, monosyllabæ.

Virgilius:

Experiar, tu deinde iubeto certet Amyntas.

Martialis:

Sint Mecœnates non deerunt Flacce Marones.

Secunda.

Dialysis, dissolutio unius syllabæ in duas, contraria Synecphonesi: Sic Horatius sylúæ trisyllabum fecit, & solúit Catullus in hoc phalæcio.

Quòd zonam soluit diu ligatam.

Si fiat hoc in diphthongo, Diæresin uocant.

Virgilius:

Aulaî in medio libabant pocula Bacchi, proauiæ.

Horatius:

Hîc murus aëneus esto, pro æneus.

Tertia.

Synalœpha, quando uocalis in fine dictionis posita, per subsequentem uocalem abijcitur, & scandendo uelut absorbetur: ut,

Sera nimis uita est crastina, uiue hodie.

Estq; hoc semper obseruandum in latino carmine: exceptis paucis, O, Heu, & similibus interiectionibus, quæ non eliduntur.

Horatius:

O & præsidium, & dulce decus meum.

Ouidius:

Heu ubi pacta fides, &c.

Poëtæ tamen Latini ad Græcorum imitationem interdum uocalem ante uocalem non elidunt: sed, nunc

nunc longam corripiunt, ut apud Virgilium:

Credimus an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.

Et longum formose uale uale, inquit Iola.

nunc non corripiunt: ut,

Virgilius:

Externo commissa duci Aeneia nutrix.

Idem:

Et uero incessu patuit dea, ille ubi matrem.

Idem:

Posthabita coluisse Samo: hic illius arma.

Quarta.

Ecthlipsis fit, quando dictio aliqua in m desinit, & sequens â uocali incipit, ibi tum m cum sua uocali elidendum est.

Persius:

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane.

De his duabus figuris hic extat uersus:

Ecthlipsis necat m, uocalem aufert synalœpha.

Quinta.

Parellipsis est elisio consonantium, quæ geminæ in medio dictionis ponuntur, ut syllaba corripi possit:

sit: sic l in ille apud Terentium sæpè eliditur: & apud Homerum sæpè ὀχλίζω legimus unico λ.

Sexta.

Diplasiasmus consonantes geminat, quæ alioquin simplices erant ponendæ, ut relliquias Danaum. Sic relligio pro religio, rettulit pro retulit.

Septima.

Diastole est, quando breuis syllaba producitur: ut,

Italiam fato profugus Lauiniq; uenit:

Nam I in Italia breue esse uulgus Grammaticorum perhibet.

Idem sæpè fit in cæsuris, & plerumque in tertiæ regionis mitio, nonnunquam & in quartæ: ut,

Si pereo manibus hominum periisse iuuabit.

Item:

Omnia uincit amor, & nos cedamus amori.

Et:

Ostentans artem pariter, arcumq; sonantem.

Obserua quoque ante h breuem syllabam sæpè extendi etiam extra cæsuram.

Virgilius:

Grauis homo infestos linquens profugus hymenæos.

Idem:

Fadumq; Hebesumq; subit.

Item ante consonantem & uocalem.

Virgi-

Virgilius:

Liminaq; laurusq; Dei.

Idem:

Sceptra Palatini, sedemq; petiuit Euandri.

Horatius in Asclepiadeo hoc:

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Octaua.

Systole longas syllabas contrahit.

Virgilius:

Obstupui steteruntq; comæ, uox faucibus hæsit.

Persius:

Auriculas uide sis ne maiorum tibi sorte.

ubi enim uide, & te in steterunt cõtrahuntur: sunt enim syllabæ longæ.

Nona.

Inter scandendum quoque nonnunquam facienda est Syncope.

Virgilius:

Vincla recusantûm & sera sub nocte rudentûm pro uincula. Idem:

Vixet cui uitam Deus, aut sua dextra dedisset, pro uixisset.

Obseruandum quoque in scansione sæpè in fine syllabam redundare, quod tamen minùs rectè fit, nisi sequens uersus à uocali incipiat, ut cum eo connecti possit. Virgilius:

Ecce

Ecce furens animis aderat Tirynthius omnemq;
Accessum lustrans: hîc q; abundat.

Et:

Aut dulcis musti uulcano decoquit humorem
Et folijs undam: hîc rem abundat, & connectendum cum uersu sequenti: Dicunturq; huiusmodi uersus Hypermetri.

De nouem vitijs in versu componendo vitandis.

Sermonis uitium fuge, dictio ne qua redundet
Aut desit: rectus seruetur in ommbus ordo.
Nec sis obscurus, ne produc corripienda
Vel contrà: si uox uocali desinit, aut m,
Subdere uocalem sine perditione prioris
Nolito: uersus sint omni parte canori:
Carmine in exiguo ne ponito plura licenter.
Optima quæq; tibi propone imitanda fauebit
Pulcher Apollo tibi, fundent sua dona Camœnæ.

FINIS.

DE

DE SYLLABARVM QVANTITATE, ET CARMINVM RATIONE apud Græcos.

Quomodo diuiduntur syllabæ apud Græcos?

In longas, breues, & ancipites.

Quæ est syllaba longa?

Quæ habet η aut ω, seu diphthongum, seu positionem.

Dic exceptiones.

Vocales longæ, & diphthongi nudæ positæ in fine dictionis, sequente uocali, fiunt communes: ut,

Hesiodus:

Τκνὴ ἐ-υυγὼ δ' ἐ κε πέρσῃ ἐ-υυτήτυμα μυθησαίμην.

Et:

Ανδ ρὰ μοι-υυ ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον.

Quæ est altera exceptio?

Diphthongi seu uocales longæ etiam in eadem dictione sequente alia uocali sæpè corripiuntur: ut,

Home-

ὃ δ' ἀρετὴν δῖος - υ ὑ ἐσσί τίσε χρὴ ταῦτα λέγεσθαι.

Quæ est syllaba breuis?

Quæ constat ex uocali breui, ε & ο, ut θεός.

Fit ne breuis interdum longa?

Fit in qualibet cæsura.

Quid est cæsura?

Est dictionis post pedem absolutum ultima syllaba: ut,

αὐτὰρ ἐπεὶ δ' ὠράων γένετο ἰάχητε θρόοντε.

De syllaba communi.

Quot sunt vocales ancipites?

Tres: α, ι, υ.

Quare sic dicuntur?

Non quòd in qualibet dictione & corripi & produci possint: sed quòd in quibusdam dictionibus omnimò producantur, in quibusdam uerò corripiantur.

Quot modis cognoscitur syllaba communis?

Tribus: ex accentu, ut τὸ μέλι μέλιτι corripit

ripit ι accentu τιμάᾳς α producit accentu.

Ex Apostropho qui tantùm desecans uocales breues ancipites arguit esse correptas, ut ἐπὶ κατὰ μάλα, ἵνα ancipites corripiunt, quia sæpius per Apostrophum reperiuntur auulsæ: Sicut quoque eædem in præpositionibus, aduerbijs, & coniunctionibus, in uniuersum ferè corripiuntur.

Ex authoritate præcipuorum poëtarum.

Dic regulas generales de vocalibus communibus.

Prima.

μν, κτ, πτ, præcedente uocali breui ueluti mutæ cum liquidis communem syllabam faciunt: ut,

ἅτε καὶ ἀπολαμ – υυ νομ πὲρ ὅμως ἐπεὶ ἔργον ἐγείρει.

Et:

θάῤῥας αἰγυπτί – υυ κᾳ ὅτι πλεῖσα δόμοις ἐνὶ κτήματα κεῖται.

Sic ante mutam & liquidam, siue in eadem dictione, siue in diuersis, uocalis breuis fit communis: ut,

ὦ πάτερ ἡμέτερε κρονίδη – υυ δὴ ὕπατε κρειόντων.

Id Latini nonnunquam imitantur. Virgilius:

Tribulaq; trahe – υυ æq; & iniquo pondere raſtri.

Secun-

Secunda.

Interdum sola liquida uocalem antecedentem breuem extendit: ut,

Μήκετ' ἔπειτ' ὤφελον ἔ-υυγὼ πέμπ̃ειν σι μετ̃ναι.

Et:

Δῶρα διογύσου πολυγηθέος ἄυτὰς ἐπὴρ δή.

Quod etiam Latini poëtæ interdum imitantur.

Virgilius:

Liminaq; laui —— ruscq; Dei.

Tertia.

α, ι, υ, ante alias uocales positæ, nunc longæ, nunc breues sunt, ut in λαὸς α producitur, in ἀοιδὸς corripitur.

Quarta.

Breues syllabæ natura interdum producuntur, & contrà, longæ natura interdum corripiuntur, non aliaratione quàm licentia poëtica, ut apud Homerum:

ἐιδ' ὑμῖν ὃ δὲ μῦθος ἀφαυδάνει ἀλλὰ βούλ-υυλεσθε: ubi βού in βούλεσθε corripitur.

Quinta.

Quin & unius dictionis ancipitem quandoque producunt, quandoque corripiunt, ut Iliad. ε:

ἄρες ἄ-υυρες. Hinc Martialis libro nono:

Sed

Sed Græci quibus est nihil negatum
Et quos ἄρες ἄρες decet sonare
Nobis non licet esse tam difertis,
Qui Musas colimus seueriores.

Sexta.

In dictionibus trisyllabis tres breues continuas habentibus, Heroici modò primam ex illis producunt, ut πρίαμίδης, ἀθάνατος: interdum tertiam, cùm aliæ sequuntur breues, ut σωβόσια, aut etiam mediam, præsertim cùm ea est anceps, ut πόλιος. Rursus breuem inter duas longas nonnunquam producunt, ut ι in ἀτιμίη. Interdum etiam quatuor continuas breues ponunt loco Dactyli.

Hesiodus:

Τῦμος ἡ ὥμισυ βουσὶ μετὶ δ' ἄνεφι ∪∪∪∪
τὸ πλέον εἴη.

Hoc & Latini imitantur.

Septima.

Peregrinæ uoces quantitatem habent incertam.

Octaua.

Vocalis siue longa siue breuis, ante aliam uocalem siue diphthongum, item diphthongus ante diph-

thongum siue uocalem, semper sit communis, ut Bion:

Βάλλομες ἱμείροντες ἀεί πολὺ πλέονες ὄλβῳ.

Homerus:

Καρπὸν ἐδηλήσαντ' ἐπειὴ μάλα πολλὰ μεταξύ.

ubi ε in πλέονες producitur, & ε in ἐπειὴ corripitur.

Nona.

Communes fiunt aliquando & longæ uocales, uel diphthongi positæ ante liquidam, uel simplicem, uel gemmatam, ut in Pentametro Tyrtæi:

Ἰθὺς δ' εἰς προμάχους ἀνὴρ ἀσπίδ' ἐχέτω,

ubi κ ante ρ corripitur.

Decima.

Vocales breues cum τ iunctæ, syllabam efficiunt communem: ut,

Eratosthenes:

Βοῆς ἣ νότος τάδε κεκευμμένα φαίνει,

ubi ο in νότος, & α in τα producuntur.

Item in uersu Panyasis:

Τέρπεται πηδεῶν ἅμα τ' ἄλλον λαὸν ἀενώγει.

ubi ε

ubi ε penultimum in τέρπεται extenditur.

Vndecima.

Breues uocales communes fiunt ante χ & δ. ut Theognis:

ζητῶσι χαλεποί τειρόμενοι πενίῃ, ubi ι in ζητῶσι producitur.

Regulæ ſpeciales de ancipitibus.

Quæ eſt prima regula?

Omne α priuatiuum initiale eſt breue, niſi cauſa metri extendatur: quale quoque eſt ἀκάματος & ἀθάνατος apud Heſiodum.

Secunda.

α ante β uel μ corripitur: ut ἄβυσσος, ἄμιλλα, præter ἄμητος.

Tertia.

Omnis anceps contracta producitur: ut ἱερεὺς pro ἱέρεὺς, ἐυκλεᾶ. Omnis enim Synæreſis ſyllabam perpetuò facit longam: ut σάχυες σάχυυ ⏑ –. Syncopa autem, ut δυσκλέεα δυσκλέα, ablatione τοῦ ε: uel Apoſtrophus, ut ἠχὴ ἄργος κἀργὸς ⏑ – ⏑ | non facit Synæreſin.

De medijs ſyllabis.

Regula prima.

Nomina in ος purum, quæ α, aut ancipitem in penultima habent, illam producunt: ut, ναὸς, κριὸς, ἰὸς, præter βίος.

Secunda regula.

In ινος polyſyllaba acuta penultimam habent breuem, ut ἐιαχινὸς, θερινὸς, νυκτερινὸς: quanquam poëtæ nonnunquam iſta producant. Grauitona uerò ſiue diſſyllaba ſiue non, longam habent penultimam, præter κακκίνος, & πίνος.

Tertia regula.

In ίνη ſuper tres ſyllabas penultimam producunt, ut ἡρωίνη herois: præter ἑιλαπίνη conuiuium, & quæ ſunt urbium.

Quarta regula.

In ίτης ſiue per ι ſiue per υ, longam habent penul-

ultimam: ut πολίτης, πρεσβύτης, præter κριτής, & inde deducta.

Quinta regula.

In υμος dissyllaba penultimam producunt: ut χυμός, θυμός.

Sexta regula.

In υνος dissyllaba, & quæ plurium sunt syllabarum, υ producunt: ut φρῦνος, θῦνος, κίνδυνος, πάχυνος, præter πλοῦνος balneum.

Septima regula.

In ῦνη dissyllaba longam faciunt penultimam: ut, μύνη, φρῦνη, præter γύνη. Corripiuntur autem quæ plures syllabas habent: ut, Δικαιοσύνη, βριθοσύνη, κορύνη.

De obliquis.

Octaua regula.

In obliquis ancipites non semper tales manent, quales in recto: sed nonnullæ longæ corripiuntur, & correptæ nonnullæ producuntur: ut, κήρυξ ultimam longam corripit in obliquis κήρυκος – ∪ ∪ κήρυκι – ∪ ∪. Sic κνημίς, & βαλβίς ultimas breues producunt in obliquis, κνημῖδος, βαλβῖδος, quod ex accentu patet.

Nona.

In ις acuta fœminina dissyllaba per δ declinata, neque diminutiua, neque propria in recto ι breue, in obliquis uerò natura longum habent: ut κνημὶς κνημῖδος, κλεὶς κλειδὸς.

Excipe adiectiua trisyllaba breuia, sine in longam sine breuem rectus exierit: ut ἀυλακτρὶς ἀυλακτρίδος, ἔρεβις ἐρεβίδος. Quarum tamen rectus seu antepenultimam seu penultimam habet breuem, ι penultimam in obliquis producunt: ut πλοκαμὶς πλοκαμῖδος.

De verbis.

Regula prima.

In ἄω habentia ante α immediatè uocalem, aut ρ syllabam constituens, producunt α: ut ἐάω, πεῖρᾶω. Si uerò non, corripiunt penultimam: ut ἔλαω.

Regula secunda.

In ύνω polysyllaba barytona, penultimam producunt: ut ὀτρύνω, πρᾰΰνω, μολύνω. Sic quoque in ίνω: ut πίνω, κρίνω.

Regula tertia.

Quemadmodum non omnes ancipites in obliquis

quis, quales in recto fuerunt: sic neque in præsenti, neque in futuro, neque in alijs temporibus æquales sunt: ut, θύω, λύω, κωκύω, ancipitia in præsenti, in futuro longam semper habent penultimam.

Regula quarta.

In ἰνω penultimam futuri corripiunt, quod omnia quintæ coniugationis uerba faciunt, & omnia inde formata: ut κρῖνῶ, κέκρικα, ἐκρίθην: & nomina, ut κρίσις, κρῖμα. Excipiuntur aoristi primi, qui habent ι & υ in penultima, quod producitur: ut ἔκρινα, ὤτρυνα – – ∪ |

De vltimis syllabis.

Regula prima.

Nominatiuus primæ declinationis in ας producitur: ut Αἰνείας.

Secunda regula.

In secunda declinatione α finalis recti nominum adiectiuorum, eius est quantitatis cuius ultima genitiui sui masculini: ut, ὁ θεῖος τοῦ θείου, ἡ θεία – – | ὁ ὑδρὸς τοῦ ὑδρέος ἡ ὑδρᾶ – – ∪ | præter ἡ δῖα – ∪ | τοῦ δῖου α δῖος.

Terti regula.

A α uerbis in ευω producitur: ut πρεσβεία ἀ πρεσβεύω. Similiter in ρα præcedente ſola uocali: ut πήρα, & σάυρα, ἄυρα.

Sic in ρα adiectiua: ut, πονηρὰ. Denique omne fœmininum deſinens in α acutum producitur: ut, χαρά, ἀρά. Adhæc producuntur contracta in ᾶ, ut ἀθηνᾶ: polyſyllaba in αια, ut σελκνάια. Subſtantiua in ία, ut φιλοσοφία. In δα & θα, ut λάδα, κιασάθα.

Quarta regula.

Cætera autem in α corripiuntur, qualia ſunt εα fœminorum ab adiectiuis in υς: ut, ἡδεῖα ab ἡδύς. Diſſyllaba in αια, ut γαῖα. In εια ſubſtantiua ab adiectiuis primæ contractorum in ης, ut ἀληθεια ab ἀληθής. In ια adiectiuorum: ut, πότνια. In ουσα, ut μοῦσα. Sic & participia fœminina præſentia: ut, τύπτουσα. In οια polyſyllaba, ut ὁμόνοια, δέσποινα. Breuia quoque ſunt, quæcunque reliquis conſonantibus utuntur ante α, ut δόξα.

Quinta regula.

Maſculina in ας grauitona producuntur: ut ἄιας, ἀΐνειας.

Excipe μέγας καὶ λάας. Sic quoque longam has

habent ultimam in ας participia: ut, ποιῆσας - - - ποιησασα - - - ∪. Sic quoq; participia uerborũ in μι ancipites, & α, υ extendunt, ut ἱσάς - - ἱσᾶσα - - ∪ | ζευγνύς - - | ζευγνῦσα - - ∪ |

Sexta regula.

Acuta fœminina in ις per δ declinata, in breuem finiunt, ut κεραμὶς, ϖινακὶς, θηρὶς, ψηφὶς, κρηπὶς, ἀυλητρὶς, πειραμὶς.

Septima regula.

In υς monosyllaba, & non, si circumflexa sint, producuntur, ut σῦς, μῦς, δρῦς, ὀφρῦς, ἰχθῦς.

Octaua regula.

Omne masculinum, & fœmininum in immutabilem desinens, producit ultimam, præter μάκαρ, δᾶμαρ.

Nona regula.

Accusatiuus parisyllaborum idem tempore est cum recto: ut, ἀνεμος ἀνεμον. Imparisyllaborum uerò cum genitiuo: ut ἄιαντος ἄιαντα.

Decima regula.

Vocatiuus æquale tempus cum proprio recto habet, uel etiam minus: propterea quæ in immutabilem desinunt grauitona abijciendo genitiui ultimam faciunt uocatiuum, ut ἀ νέσως νέσορος fit ὦ νέσορ, ab ἄρσην ἄρσενος, fit ὦ ἄρσεν, præter ὦ ἄπολλον ab ἀπόλλων.

Regulæ quædam genrales in scandendis Græcis versibus vtiles, & necessariæ.

Regula prima.

Liquida cum alia consonante sequente, quandoq; præcedentem uocalem breuem nihil impedit positione, ut apud Hesiodum:

Εἰ δή τοι κρὴ χρῆμα ἐγ - ∪ ∪ χώριον ἀλλογένηται.

Et rursum:

χρύσεον - ∪ ∪ μὲν πρώτιστα γένος, &c.

Potest tamen etiam esse συνεκφώνησις in χρύσεον, ut sit Spondæus.

Secunda regula.

Nonnunquam σ præcedentem uocalem seu longam,

ξαμ, seu breuem ancipitem facit, ut Homerus:

χωάμενος ὅτ᾽ ἄ- ∪∪ ριστον ἀχαιῶν οὐδέμ᾽
ἐτίσας.

Hoc Virgilius imitatus uidetur, cùm inquit:

Muneribus tibi pampineo grauidus au- - -
tumno.

Tertia regula.

Quædam monosyllabæ quandoque tanquam nullius momenti, eq; carminis structura semouendæ negliguntur, ut in his uersibus:

ἄσκεπα χεῖμα κακὴ δέρθ᾽ δ᾽ - ∪∪ ἀργαλέ᾽
οὐδ᾽ἐποτ᾽ ἐαθλῆ.

Εἰδέκεμ ἐργάζη τάχασ᾽ ζηλώσασ᾽ ἀ- ∪∪
ἐργόν.

Quarta regula.

Quandoque breues uocales protendunt: ut,

Νῦν δ᾽ ἐγὼ μή τ᾽ αὐτὸς ἐμ ἀνθρώποισι δίκασ-:

ubi ε ἐγὼ auxilio δ producitur iuxta regulam generalem undecimam.

Quinta regula.

Sæpiùs per συνεκφώνησιν seu σύζευξιν duæ syllabæ sine media aliqua consonante intercedente, in unam longam conflauunt: ut,

ὦρα χρὴ τ᾽ ὀλίγη πέλεται νεικέων τ᾽ ἀγο- ∪∪
ρέοντε- ∪.

Et:

Βυσὶ θ' ἡμιόνοισι ἐπηέταονο- ∪ ∪ ἄυτας
ἕπεται.

Sexta regula.

Græcis liberum est in carmine facere uel minus Apostrophum: ut,

Τὸ πρῶτον τέρπετο θεοτοὺς ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν,
ὧρᾶιος δὲ γυναῖκα τέον ἐπὶ οἶκον ἄγεσθ:

Quod interdum Latini poëtæ imitantur.

Virgilius:

Tine ille Aeneas quem Dardanio Anchisæ:

ubi uocales longæ et diphthongi per Apostrophum seu Synalœphen non auulsæ, communes fiunt more Græcorum, ut apud Virgilium:

Insulæ, Ionio in magno.

Et:

Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto.

Septima regula.

Latini tam longas quàm breues uocales elidunt: Græci tantùm breues, addito semper collisionis signo: quare in Græco carmine scandendo nulla est facienda collisio, nisi sit signata.

Octaua regula.

Græci poëtæ, præsertim Hesiodus, frequenter utuntur uersibus spondaicis.

Nona

Nona regula.

Reperiuntur quoque apud eosdem Hypermetri & Hypercatalectici, longiores una syllaba, ut:

τὸ φέρον ἐμπλήσας ἄσκον μεγαν, ἐνδὲ μὴ ἦτα.

Decima regula.

Reperiuntur quoque qui λαγαροὶ uocantur, quasi elumbes, cùm in medio neglecta pedum obseruatio uidetur, ut apud Homerum Odyss. κ.

φαιήκων μηδ' ὕυτω φίλον δ'ἦι πατρὶ γένοιτο.

Hæc, si diligens poëtarum lectio & obseruatio accesserit, facilè studiosos ad modulationem Græcorum uersuum perducent.

FINIS.